

- Dieci, che di presente ti rechi a Brescia con nostre lettere cre-
- denziali a trovare il conte Carmignola, nostro capitano generale,
- a cui, dopo i saluti e le raccomandazioni consuete dirai, che,

quam ad securitatem locorum et territorii sui pro laborerio facto gentes nostre tute transire et recedere possent ad beneplacitum suum deliberavimus velle bene discutere et intelligere hanc materiam ut per consequens fieri possit bona deliberatio quid sit agendum hoc tempore futuro vel citra vel ultra Padum, sicut melius et salubrius esse videbitur. Et ob hanc causam deliberavimus facere fatigare M. dominum Mantue ut personaliter veniat ad presentiam nostram cui iam scripsimus rogantes eum ut hunc veniat qui subito hic erit. Et simili modo hortamur et requirimus ipsum comitem ut quanto citius sit possibile sumat hunc laborem veniendi ad presentiam nostram. Nam reperiet hic prefatum M. dominum Mantuae cum quibus ambobus poterimus discutere examinare ac bene intelligere ista negotia ac per consequens meliorem et salubriorem deliberationem facere de his que fieri habebant inducendo et sollicitando eum quod veniat quanto citius sit possibile et si venire deliberabit venias secum usque Venetias et advisa nos de deliberatione quam fecerit et de die qua recessurus erit. Si vero idem comes venire recusaret aut se aliter excusaret ita quod videretur eius intentionem esse prorsus non venire tunc ut non capiat aliquam umbram dicas quod posquam sic sibi videtur libenter audires ab eo opinionem et conceptus suos si aliquid de novo cogitavit super his que gerenda sunt estate futura et quid sibi videtur de his que diximus de ultra Padum, ut possis scribere nobis quod sic habes in mandatis et auditis his que tibi dicet postea dextero et secretissimo modo ita ut aliquis nec intelligere nec suspicari possit de re infrascripta dabis modum essendi in aliquo loco remoto et secreto cum potestate et capitaneis nostris Brixie et cum nobili viro Francisco de Garzonibus provisoro quibus secretissime dices parte nostra et consilii nostri de decem quod deliberavimus et intendimus quod idem comes Carmignola intromittatur et personaliter capiatur atque detineatur et proinde mandamus eis quod inter se advisent atque deliberent illas vias formas et modos qui eis videbuntur aptiores et meliores ad exequendum hanc nostram intentionem cum illa securitate status nostri que possibilis erit et quanto celerius sit possibile servatis tamen modis convenientibus ad factum ut venire possit ad executionem faciat illum personaliter capi et detineri ac sub bona et tuta custodia collocari in castro nostro superiori Brixie per modum quod sit bene tutus et conservatus. Verum commemoramus eis pro securitate status nostri quia sicut vident actus iste est permixtissime importancie multis respectibus quos etiam ipsi bene intelligunt quod ante vel postquam veniatur ad actum intromittendi et capiendi eum sicut eis melius videbitur habeant advertentiam et faciant provisionem ad bonam custodiam et conservationem civitatis et locorum nostrorum brixiensium. Sed presertim Urcearum Novarum Montisclari et Palasoli et propter hoc nobis videtur 1.^o quod ordinent quod M. Ursinus de Ursinis non recedat cum eius comitiva de Urceis Novis et advisent ser Marcum Longo quod sit vigil ad bonam custodiam. Et quia sunt super facto relinquimus in eorum arbitrio et deliberatione faciendi illas provisiones que eorum prudentie videbuntur tam pro bona executione facti quam pro securitate status nostri quoniam non est